PA 6789
.G7
Copy 1

PA 6789
.G7
Copy 1

QUAESTIONES TIBULLIANAE.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

UNA CUM SENTENTIIS ALIQUOT CONTROVERSIS

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

IN LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICIANA HALENSI CUM VITEBERGENSI
CONSOCIATA

DIE XXIII. M. JULII A. MDCCCLXXII.

HORA XII

IN AULA ACADEMIAE

PUBLICE DEFENDET

HERMANNUS GROTH
BEROLINENSIS.

76626

CONTRA ADVERSARIOS

PAUL WEIDENBACH, STUD. PHIL.
THEODOR BECKER, STUD. PHIL.

HALIS,
TYPIS EXPRESSUM LIPKIANIS.

PA 6789
.G7

PATRI CARISSIMO

PIO GRATOQUE ANIMO

AUCTOR.

Tibulli carmina non minus quam Catulli et Propertii, cum quibus coniuncta plerumque edita sunt, a saeculo decimo quarto, summa cura a praeclarissimis viris doctis tractata sunt. Petrarcam illorum poetarum carmina cognovisse et lectitasse si non pro certo contendere at summa probabilitate suspicari possumus. Insequenti deinde saeculo Tibullus ab Italis diligenter legebatur eiusque elegiae frequenter transcriptae multis exemplaribus, quorum non pauca adhuc supersunt, divulgatae sunt. Sed Itali illi, etiamsi multos errores optime emendaverunt, tamen omnes nimio elegantiae studio inducti multis locis mutaverunt, quae mutanda non erant. Quum autem in recensendis Tibulli carminibus illi Italorum codices saeculo decimo quinto scripti in primis respiciendi sint, quoniam pervetusta illa membrana, quam Josephus Scaliger ab Jacobo Cuiacio acceperat (quae hodie iam non exstat), tantummodo librum tertium inde ab elegiae quartae versu 65 et quartum aibrum usque ad decimae quartae elegiae versum quartum lmplectebatur, quoniamque excerpta Vincentii Bellovacen-

sis et Parisina, quippe in quibus sententiae e Tibullo electae licenter interpolatae sint, non magna auctoritate esse possunt, excerpta Frisingensia autem saeculo undecimo scripta, quae omni interpolatione carent et bonitate proxime accedunt ad codicem Cuiacianum, parvum tantum fragmentorum numerum continent, eximia diligentia et sagacitate hominum doctorum posterioris temporis opus erat ad restituenda ea, quae in libris corrupta erant et vix sperare possumus fore, ut ubique idem legamus, quod poeta ipse scripsit. Accedit, quod illud exemplar, e quo omnes Tibulli codices, quos nos novimus, descripti sunt, plus uno loco valde corruptum erat, quod praeter alia demonstrant lacunae, quae inveniuntur in omnibus nostris libris. Nam in libri primi elegia secunda unus pentameter deest post v. 25, in elegia decima distichon aut plures versus post v. 50 et fortasse post v. 25 quoque; in libro secundo in elegia tertia unus pentameter post v. 15, hexameter post v. 75, complures versus post v. 34 atque post v. 58 exciderunt.

Sed criticis non solum vitia tollenda erant, quae in illas elegias irrepserant, sed etiam diiudicandum erat, utrum re vera Tibulli essent omnia ea carmina, quae ei adscripta sunt, an in illis aliorum quoque auctorum poēmata invenirentur. Atque si respicimus ad ea, quae Vossius, Gruppius, Dissenius (in edititione Tibulli a. 1835 vol. I. p. 111 sqq.) Lachmannus (ad III. 1, 1), Hauptius de hac re disseruerunt, vix dubitare possumus, quin in corpore illo, quod totum a Tibullo scriptum esse olim homines eruditi putabant, quatuor poetarum carmina con-

gregata sint. Tertium librum, cuius auctor Lygdamo nomen sibi attribuit, homo magna diligentia minore ingenio, non a Tibullo scriptum esse, Isaacus Vossius primus intellexit. Imitatur ille quidem Tibullum, sed ita, ut multis locis artis et orationis genere ab eo differat neque usquam mentionem faciat vitae rusticae, cuius studium apud Tibullum ubique coniunctum est cum amore. Eodem quoque iure elegia prima libri quarti, qua pauper adolescens Messallae se commendare voluit, a Tibullo abiudicatur. Ille enim diligentissime carminis dispositione facta ubique regulas, quas apud rhetores didicit, adhibere atque, ubicumque potest, doctrinam suam ostentare fabulasque nimis longe petitas afferre studuit. Quae omnia alienissima sunt ab eo, qui librorum I. II. elegias composuit. De minoribus quarti libri carminibus, quae pertinent ad amorem Sulpiciae atque Cerinthi Gruppius[1]) summo acumine ostendit tantummodo elegias inde a secunda ad septimam a Tibullo, 8—12 autem a Sulpicia ipsa scriptas esse. Haec enim carmina, etiamsi in iis invenimus eundem animi calorem vigoremque, tamen a ceteris elegiis facile eo discernere possumus, quod perspicuitatem atque elegantiam Tibullianam desideramus, velut in elegia IV. 8. 6. „non tempestivae saepe propinque viae", quibus verbis, ut conicere tantum possumus e sententiarum conexu, Sulpicia hoc dicere vult: cui nihil plus cordi est, qui nihil magis cupis, quam iter, quod mihi tam intempestivum, tam incommodum, tam invisum est: aut in elegia 10 v. 1, 2, ubi puella iuvenem suum, quem

1) Die römische elegie vol. I. p. 47.

meretricis amore teneri audivit, ita adloquitur: „Gratum est, securus multum quod iam tibi de me permittis, subito ne male inepta cadam.“ i. e: gratum mihi est, quod tam multa, quae ad me attinent, committis non timens, ne ego ex insperato stulte atque turpiter peccem. Quodsi unum tantum vel duo eiusmodi exempla in his paucis elegidiis exstarent, nostro iure existimare possemus, illa a librariis corrupta esse; sed talia inelegantius expressa saepius in illis triginta versibus inveniuntur. E quibusne longus sim, affero tantum versum primum et quartum elegiae nonae atque „iam“ illud, quod inutile positum est in compluribus versibus: 8, 5. 9, 2. 10, 1. 12, 1, aliis locis. Accedit, quod in antiquo libro Cuiaciano, quo Scaliger usus est, inter elegiam septimam et octavam Sulpiciae nomen scriptum erat, quod, quoniam elegiae, quae antecedunt, de eiusdem puellae amore agunt, id tantum significare potest, carmina haec a Sulpicia poetria facta esse.

Itaque haec quaestio de auctoribus sic mihi videtur diiudicata esse, ut tantummodo libri I. II. et el 2—7 libri IV. Tibullo, cetera carmina aliis tribuenda sint. Sed duae quaestiones supersunt, de quibus adhuc magna est dissensio inter viros doctos, quarum altera est, num singularum elegiarum disticha eo ordine, quo a poeta composita sunt, ad nos pervenerint, altera, utrum Tibullus certa ratione elegias suas symmetrice quasi struxerit an non. Ad has quaestiones ego quoque pauca afferre studebo.

II.

Ut de symmetria illa prius agam, sunt, qui putent Tibullum elegias suas aut omnes aut nonnullas de industria in complura membra divisisse, quae aut omnia tamquam strophae inter se aequabilia sint aut quorum bina pari versuum numero sibi respondeant. Singula illa membra continere unum ordinem sententiarum, quae arctissime inter se cohaereant, a praecedenti autem et sequenti carminis parte facile separari possint. Interdum illis paribus partibus exordium praemissum esse, interdum epodum quandam sequi; saepe et exordium et epodum, quae ex eodem versuum numero constent, inveniri posse. Alii contra talem elegiae structuram, talem responsionem symmetricam a poeta quaesitam esse prorsus negaverunt, atque siqua symmetria in carminibus Tibullianis esset, eam non arti sed casui aut naturali cuidam sensui, qui in omnibus poëtis inesset, tribuendam esse censuerunt.

Inter eos homines doctos, qui Tibullum in elegiis suis paene ubique illam artificiosam compositionem adhibuisse putaverunt, Prienius est, vir excellentissimus, qui de hac re egit et in libello „die symmetrie und responsion der röm. elegie Lübeck 1867" et in Jahnii annalibus philologicis in volumine decimo sexto anni 1870. Equidem illi viro doctissimo, etiamsi in iis elegiis, quas tractavit, sensum et sententiarum conexum praeclarissime exposuit, de symmetria, quam in Tibulli elegiis invenit, adsentiri non possum. Atque ad hanc sententiam meam comprobandam, pauca, si placet, carmina, de quibus Prienius egit, contemplemur. In eo Jahnii annalium volumine,

quod modo attuli[2]) vir ille eruditus elegiam primam libri primi omissis versibus 7. 8, 33. 34 atque tribus distichis inde a versu 19. usque ad v. 24. post versum 36. positis in octo quaternorum distichorum strophas, ut ita dicam, dividit, quas sequatur epodos quinque distichorum, ita ut haec carminis dispositio evadat:

A:	α,	β.	A′:	α′.	β′	
	1—6, 9, 10.	11—18.		25—32.	35, 36, 19—24.	
B:	γ	δ.	B′:	γ′	δ′.	C: ε.
	37—44.	45—52.		53—60.	61—68.	69—70.

Sed quaeritur, utrum omnino mutanda sint, quae mutari Prienius vult, an defendi possint quae in manuscriptis libris tradita sunt. Atque primum quidem vir doctissimus versus 7. 8.[3]) iniuria eiicere mihi videtur, quum neque per se quidquam habeant, quod merito offendere possit neque me iudice orationis progressum interrumpant. Nam poeta initio carminis argumentum pronuntians, taedium belli atque amorem otii et vitae rusticae, „Alii," inquit, „divitiarum cupidi bellum quaerant, equidem paucis contentus otio fruar in parvo fundo meo; ego pro belli laboribus et terroribus me dedam vitae inerti et iucundioribus rebus rusticis serens vites et arbores." Nihil magis consentaneum est, quam commemorata vita otiosa in fundo poetam loqui de operibus quo-

---

2) vol. XVI. a. 1870 p. 689 sqq.

3) Ipse seram teneras maturo tempore vites rusticus et facili grandia poma manu.

que ruris, quibus delectatur, quae iucunde interrumpunt otium vel potius quae ipsa comparata cum adsiduis belli laboribus dici possunt vita eius iners. Nec minus apte proposito illi poeta preces adiungit, ne spes, qua adductus serit et plantat, se fallat neve umquam careat frugum atque vini copia; quam sperat deos sibi daturos esse, quum semper pium se praestet. Praeterea per chiasmum sibi respondent versus 7. 8 atque 9. 10, ita ut „grandia poma" ad verba frugum acervos, verba autem „teneras vites" ad „pleno pinguia musta lacu" quadrent. Non igitur putandum est, hoc distichon interpolatum esse.

Neque rectius versus 33. 34:

At vos exiguo pecori, furesque lupique,
parcite — de magno est praeda petenda grege —:

a Tibullo abiudicari puto unicuique perspicuum fore simpliciter exposito sententiarum ordine. Poeta enim ut versibus 9. 10. cupit sibi non recusari fruges atque alia, quae fundus fert, ita hoc loco gregem suum parvum servari vult, ipsos eius inimicos fures luposque adloquens illo cogitationis sensuumque vigore, qui poetarum est, illosque vetans laedere pecus suum (33. 34), cui nocere nefas sit, quia quae debeat religiosissime tribuat pecoris diis (35. 36). Minime ineptum est mentione facta de cura in gregem collata poetam petere, ut ei parcatur, quippe qui sic quoque non magnus sit; quod optatum probat insequenti disticho, non verbis „de magno est praeda petenda grege," quae παρενθέτως posita sunt. Accedit, quod saepissime aut res aut homines, etiamsi

absunt, ex inopinato Tibullus eodem modo adloquitur, poetica ratione eos praesentes fingens velut I, 2, 87: „At tu, qui laetus rides mala nostra, caveto.“ 4, 59: „At tua, qui Venerem docuisti vendere primus, quisquis es, infelix urgeat ossa lapis.“ 5, 69. 6. 15: aliis locis. Atque simillime dicit II, 5. 88: „a stabulis tum procul este lupi,“ sed non ita, ut hoc distichon ex illo loco fluxisse videri possit. Quare quum illi duo versus progressum orationis non interumpant neque intelligi possit, cur, ut Prienius disputat, repugnent carminis argumento, neque quicquam inepti iis contineatur, non cogitantum est de interpolatione. Immo, si tollerentur, qui attento animo legeret, iure desideraret, quae propositum illud „non pudeat runcare atque arare, non pigeat fetum desertum domum portare,“ coniungerent cum verbis „hic ego pastorem meum lustrare soleo.“

Restat ut tractemus transpositionem versuum 19—24:

„Vos quoque, felicis quondam, nunc pauperis agri
custodes, fertis munera vestra, lares.
Tum vitula innumeros lustrabat caesa iuvencos:
nunc agna exigui est hostia parva soli.
Agna cadet vobis, quam circum rustica pubes
clamet „io messes et bona vina date.“

Quos versus Prienius inprimis ideo post versum 36 transponit, ut ea quae sensu cohaerent, in codicibus autem diiuncta sunt componantur; nam quum versibus 35. 36. commemoret poeta palilia, quae cadant in ante diem XI.

Calendas Maias, aptissime sequi ambarvalia postea initio messis acta. Sed illorum dierum festorum cognatio non magis nobis persuadere potest olim coniuncta fuisse illa disticha quam, ut Prienius vult, repetitum verbum lustrare — lustrabat (v. 35 et 21). Haec autem tria disticha arctissime cohaerere cum iis, quae praecedunt, unusquisquae concedet. At verba, quae excipiunt haec disticha „iam modo non possum contentus vivere parvo" et., ut in codicibus scripta sunt, prorsus non possunt iis adiungi. Concedo. At aptissima sunt, si cum Hauptio legimus, quod exhibent excerpta Frisingensia: „iam modo iam possim contentus vivere parvo," quod, quum iam iam pro simplici iam saepius inveniatur atque verbo interposito diiungi possit velut Verg. Aen. XII, 179 „iam melior iam, diva, precor," idem valet ac: „dummodo iam possim;" ita ut commate posito post „vina date" condicionalis sit haec sententententia atque sensus hic: Vos, dii, pie colam, dummodo mihi liceat contento domi degere vitam otiosam atque iucundam.

Quibus omnibus de causis Prienii mutationes probare non possum neque dubito, quin elegia, quum quae Scaliger, Haase, Ribbeck contra eum versuum ordinem, qui libris manu scriptis traditus est, disputaverunt, ab aliis iam refutata sint, exceptis singulis verbis integra ad nos pervenerit. Tali autam modo symmetria prioris partis elegiae usque ad versum 36. plane deleta est. Sed ne alteram quidem partem puto Tibullum ratione atque consilio ad responsionis leges formasse. Nam nihil est, quod cogat nos, ut ita disponamus carmen;

nihil est, quod impediat, quominus, sicut ante vers. 53 Prienius strophae finem constituit, ante v. 51 quoque aut ante v. 57 maiore intervallo distinguatur, quippe a quo versu usque ad vers. 72 vel 74 poëta loquatur cum Delia sue; neque negari potest versus 57—68, ubi poeta loquitur de tristi ab amata puella discessu mortis hora, arctissime cohaerere. Prorsus casu fieri mihi videtur, ut quater post octavum quemque versum sententia finem habeat. Pari iure haec altera pars in binorum quoque distichorum strophas dividi possit ant senorum, ita ut partium distributio haec sit:

37—48. 3 + 3 dd. Adsitis dii; non enim divitias peto — sed otium et amoris delectationes.

49—60. 3+3dd. Hoc mihi contingat; non gloriam requiro — sed amorem meae Deliae usque ad mortem.

61—72. 3 + 3 dd. Tum, mea Delia, flebis — sed dum fata sinunt, inugamus amores, iam veniet mors, veniet senectus.

73—78. Finis: Nunc amore fruar; hoc mihi placet; longe absint belli terrores.

Strophica igitur aequalitas singularum carminis partium non tam poëtae consilio quam casui tribuenda est. Consilio sane tribuenda esset si non opus esset ob eam causam multa mutare, vel si partes pari versuum numero constantes sensu quoque distincte diiunctae essent, denique si indicia externa nobis suppeditarent, velut repetitio eorundem verborum in initio partium carminis aut eadem con-

clusio aut idem versus certis intervallis identidem revertens. Quarum omnium rerum nihil in hac elegia invenitur.

In compluribus aliis quoque carminibus Prienius compositionem strophicam probare non potest, nisi versibus deletis aut transpositis aut lacuna posita, velut in decima libri primi elegia versus 11. 12. interpolatos esse, inter versus 25 autem et 26. duos versus, sex inter 50 et 51 excidisse putat.

Sed nulla est iusta causa, cur reiiciamus v. 11. 12:

„Tum mihi vita foret, vulgo nec tristia nossem
arma nec audissem corde micante tubam:“

Nam aptissime congruunt cum iis quae sequuntur et praecedunt, dummodo recte intellegantur et pro „vulgi“, quod in libris scriptum est cum Hauptio „vulgo“ legatur, quod hoc loco fere idem valet ac passim, hic atque illic, multis locis. „Tum mihi vita foret“ non significat „utinam tum vixissem“ sed „utinam tali tempore viverem“; atque eodem modo „nossem“ de praesenti tempore dicitur, quum significet: neve tristia arma mihi nota essent. Itaque Tibullus initio huius elegiae, compositae imminente militia, quam se fortasse evitaturum esse sperat, paucis verbis hoc dicit: Profecto, ferus atque scelestus ille fuit, qui ensem invenit. Is enim bella hominibus peperit atque una cum bellis multa alia mala. At forsitan ille miser non sit causa illorum malorum sed nostra avaritia atque auri cupiditas. Quae donec nondum erant, dum homines simplicissime vivebant paucis contenti, longe abfuerunt illa mala atque belli labores. Utinam tali tempore vi-

verem atque mihi ignotus esset armorum tumultus, qui passim auditur. Sed nunc ad bellum cogor atque fortasse iam parata sunt tela, quae vulnera aut mortem mihi oblatura sunt". Hanc querellam aptissime preces ad lares, ut belli periculum depellant, sequuntur coniunctae cum descriptione quietae vitae rusticae. Illis igitur duobus versibus 11. 12. poeta praeclarissime transit ab iis quae in universum dicta sunt ad suam ipsius condicionem. Verbis autem „tum mihi vita foret" pulchre opponitur „nunc ad bella trahor."

Sed de versibus 25. 26.

„At nobis aerata, lares, depellite tela,
hostiaque e plena rustica porcus hara."

semper puto dubitationem fore, utrum inter eos distichon exciderit an integer locus sit. Sane conexum horum versuum ita aliquis declarare potest, ut dicat, ex imperativo „depellite" ad „hostia" coniunctivum „depellat" supplendum esse. Sed haec constructio impedita est atque Tibulli perspicuitati vix conveniens. Neque id ferri potest, poetam et deos et hostiam, hoc est personam atque rem, quae diis donetur, rogare, ut se adiuvent. Probabilius igitur mihi videtur, inter hos duos versus quaedam deesse et sequor Mureti, Pontani, Luciani Mülleri[4]) sententias, post versum 25 scriptores praetermisisse alteram voti Tibulli partem, qua fortasse pollicitus est fruges et tura atque verbum posuit, quod hic desideratur velut dabitur

4) Editio Cat. Tib. Prop. 1870.

aut aliud eiusmodi. — Post v. 50 quaedam excidisse vix quisquam neget, quum oratio prorsus non cohaereat neque ullo modo coniunctio particula „que" facta explicari possit; atque excidit descriptio diei festi, quo acto rusticus male sobrius cum uxore et liberis domum revertitur. Prienius putat tria disticha deesse, sed levi de causa, quam hoc loco refutare longum est.

Omittens igitur versus 11. 12 atque desiderans duos versus inter v. 25 et 26, sex inter 50 et 51 Prienius carmen ita disponit:

A. α. 1—6 (3dd) β. 7—10. 13. 14. (3);
B. γ. 15—24 (3 + 2;)
B′. γ′. 25 + 2 v. v. 26—32 (3 + 2);
A′. α′. 33—38 (3). β′ 39—44 (3);
C. δ. 45—50 (3) ε. 6 v. + 51. 52 (4);
C′ δ′ 53—58 (3) ε′ 59—66 (4); D. ζ. 67. 68.

Sed praeterquam quod iam versus 11. 12, quos interpolatos non esse supra docui, hanc compositionis rationem disturbant, omnino totum illud carminis schema, quum careat concinnitate et perspicuitate, tale est, ut videatur symmetria non a poeta quaesita sed ab interprete ei adsignata esse. Eiusmodi autem symmetria fere in omnibus omnium poetarum carminibus indagari potest, neque vero, ut iam supra monui, poetae consilio adscribenda est, si desunt externa indicia strophicae aequabilitatis velut eadem aut similia verba in partium exordio aut fine aut versus intercalares aut eiusmodi alia.

Idem dici potest de compluribus aliis elegiis, ubi illius artificiosae compositionis schema, quod Prienius

invenit, non minus contortum est, velut in primi libri tertia elegia[5]) aut I., 5[6]) aut I., 7[7]), cuius structuram hanc esse vir doctus putat:

A	B	B′	C	C′	D	D′
α	$\beta+\gamma$	$\beta'+\gamma'$	$\delta+\varepsilon$	$\delta'+\varepsilon'$	ζ	ζ'
2dd.	4+2	4+2	2+3	2+3	3+1	3+1

Quo si accedit, ut ad aequabilitatem strophicam demonstrandam coniecturae faciendae sint, certe multo probabilius est, poëtam talem responsionem non quaesivisse, si modo ostendi potest illas coniecturas non necessarias atque inutiles esse. Sed quum hoc loco mihi propositum non sit atque longum sit omnia ea quae Prienius coniecit refutare, sufficiat mihi, ut tandem aliquando refutandi finem faciam, pauca afferre contra ea quae ille de compositione carminis sexti libri secundi disputavit. Illud enim carmen, in quo post versum 35 orationem amissis duobus versibus interruptam esse opinatus est, ita disposuit:[8]) 3 + 4. 3 + 4. 3 + 4. 3 + 4. ($\alpha+\beta$ $\alpha'+\beta'$ $\gamma+\delta$ $\gamma'+\delta'$)

Sed quae desint inter hos versus (35 et 36):

„Non feret usque suum te propter flere clientem:
illius ut verbis, sis mihi lenta veto,“

Qua de causa oratio non cohaereat? Nihil equidem de-

---

5) vide Prien: die responsion und symmetrie der röm. el. Lüb. a. 1867 p. 22 sqq.

6) Prienii diss. p. 11 sqq.

7) ibid. p. 18 sqq.

8) ibid. p. 15 sqq.

sidero. Postquam enim poeta Nemesim per ossa sororis eius praemature mortuae precatus est, ut sibi parceret, atque promisit se illius sepulcro dona daturum esse cumque eius cinere suam questurum esse fortunam, ita pergit: „Non semper feret me, qui illi servio atque addictus sum (suum clientem), propter te flere: quare, quum me adiutura sit, tamquam illius verbis utens veto te mihi lentam esse measque preces negare; quod si feceris, illius manes, qui mihi favent, neglecti te malis somniis terrebunt.“ Ita oratio uno tenore pulchre progreditur. Neque in huius carminis dispositione, quam Prienius fecit, puto singula versuum systemata ubique unam sententiarum seriem continere, quae neque cum praecedente neque cum insequente parte arctiore vinculo coniunctae sint. Vix enim versus 7—14 (β) in unum comprehendi possint. Nam, sicubi, ante v. 11: „Magna loquor, sed magnifice mihi magna locuto“ maiore intervallo distinguendum est. Tibullus enim, quum statuisset cum amico militatum abire et in castra proficisci, valere iubet Venerem atque puellas. Sibi quoque naturam vires dedisse, sibi quoque factam esse belli tubam. — Tum subito extincta sunt omnia illa fortia proposita; „magna loquor“ inquit acerbe poeta „sed omnia ea quae modo dixi me facturum esse eripiunt mihi clausae fores.“

Rursus ea carminis pars, quam Prienius littera γ significat (v. 29—34), sine dubio iam arctius cum prioribus verbis conectenda est. Etenim poeta (v. 19. 20) se iamdiu vitae suae vim illaturum fuisse elocutus, nisi spes se sustineret, additis exemplis (v. 21—26) versu 27 ad suam ipsius fortunam redit. Tum a versu inse-

quenti „ei mihi, ne vincas, dura puella, deam.“ incipiunt preces ad Nemesim. Hic igitur versus a sequentibus, quibus preces continuantur, separari non potest neque verbis „parce, per inmatura tuae precor ossa sororis“ alius partis initium faciendum est sed iam praecedente versu (28) aut versu 27 „Spes facilem Nemesim spondet mihi, sed negat illa“, quippe quo versu poeta ab exemplis aliorum, quos spes adiuvat et consolatur, ad suam spem fortunamque revertitur.

III.

Ex iis, quae modo disserui, efficitur Tibullum minime in omnibus elegiis certam compositionis legem secutum esse. Itaque aut symmetria, quam inesse in quibusdam elegiis et elegiarum partibus negari non potest, ubique e naturali poëtae sensu prodiit aut Tibullus talem legem in aliis quidem elegiis observavit in aliis neglexit. Equidem iis viris doctis adsentiri non possum qui ubique certum poetae consilium in carmine struendo negant. Nam illae nitidissimae elegiae, quae pertinent ad Sulpiciae et Cerinthi amorem (IV, 2—7), sicut omnes inter se ita sibi respondent, ut invicem in altera elegia poeta ipse loquatur, in altera Sulpiciam loquentem faciat,[9]) ita singulae tali modo compositae sunt, ut sententiis aliis, quae inter se arcte cohaerent, aliae e pari versuum numero constantes respondeant. Neque dubito, quin poeta ratione atque consilio id egerit. Sed contemplemur singula carmina.

---

9) confer Gruppe, die römische elegie. vol. I. p. 27 sqq.

Harum elegiarum prima (IV. 2), qua Tibullus Sulpiciam eiusque pulchritudinem nobis depingit, constat ex exordio, media parte, exitu. Exordium autem atque exitus, a media parte distincte seiuncta, eundem versuum numerum amplectuntur. Primis enim quatuor versibus Tibullus Martem, cuius dies festus agitur, invitat, ut a caelo veniat spectatum pulchram puellam; simul autem admonet, ne nimis illam admiretur. Quatuor exitus versibus Musae atque Phoebus invocantur, ut Sulpiciam canant et ad hunc diem festum revertentem saepe veniant, quum, si ulla, haec digna sit eorum choro. Media autem carminis pars circumclusa illis quaternis versibus, qui invocationes ad deos continent, facile ita disponi possit:

5—8. Sulpicia tam pulchra est, ut vel deos amore accendat, ut, quoquo se vertit, placeat.

9—14. Illa, utcumque ornata est, seu compsit crines seu non compsit, seu purpurea veste seu candida se induit, omni modo, sicut Vertumnus, pulchra est.

15—20. Dignissima puellarum est, quae pulcherrimos ornatus, quae pretiosissimas res possideat.

Aequabilitatis igitur forma haec est; 2 dd. 2 + 3 + 3 dd. 2.

Insequens carmen (IV, 3) quo puella sollicita de Cerintho, qui venatum abiit, cupit cum amatore esse, talem structuram habere mihi videtur, qualem elegias Propertianas libri primi (quibus multae ex aliis libris addi possunt), habere Müllenhoffius [10]) demonstravit. Quae

---

10) allgemeine monatsschrift a. 1854 p. 186 sqq.

elegiae ita composita sunt ut pleraque Germanorum carmina lyrica medii aevi, quae constant e membris nominatis aufgesang (die beiden Stollen) et abgesang (quae membra litteris a (a') b significabo). Eadem igitur arte, quam Propertius saepius adhibuit, Tibullus mihi videtur illud carmen ita disposuisse:

Initium: a (aufgesang) 2 dd. v. 1—4. Parce meo Cerintho, aper, neve quid mali ei facias; nam Amor eum servet; — b. (abgesang) 1 d. v. 5. 6: Sed etiamsi Amor eum tuetur, etiamsi timor meus vanus est, tamen ille abest procul a me; o pereant silvae atque canes;

Media pars v. 7—22 comprehendit duo systemata quaternorum distichorum, quae iterum dividi possunt in duo binorum distichorum membra, quorum secundum opponitur priori.

I. v. 7—14. a. 2 dd. (aufgesang) Intellego equidem stultitiam esse, venantem teneras manus laedere velle et candida crura rubis vulnerare; — b (abgesang) 2 dd. sed tamen hoc non metuens, dummodo tecum, Cerinthe, vagari possim, omnes venandi labores libenter feram.

II. 15—22. a. 2 dd. Tum mihi placeant silvae, si tecum ibi cubare possim, tum veniat licet aper, qui nostra gaudia non turbabit; — b 2 dd. nunc autem sine me abstine omnibus amoris gaudiis atque castus permane et quaecumque meo amori subrepet, a feris diripiatur.

Exitu a Cerintho puella postulat, ut patri studium venandi concedat, ipse autem ad se redeat.

Huius carminis partium responsio, quae, quod ad versuum numerum attinet, haec est:

4 + 2. 4 + 4. 4 + 4. 2.

cernere possis, si sententias respicias aut si ad verba tantum attendas; ubique enim secundum membrum particula adversativa introducitur: v. 5 sed, v. 11 sed tamen; v. 19 nunc opponitur particulae tum in versu 15 et 17; singulorum autem membrorum disticha arcto vinculo coniuncta sunt.

Tertium poema (IV, 4) post distichon, quod sententiam principalem totius continet, in quatuor senorum versuum systemata dispositum est, quorum initia aperte notata sunt repetita adlocutione v. 3 crede mihi, propera; v. 9 sancte, veni; v. 15 pone metum, Cerinthe; v. 21 Phoebe, fave, ita ut haec sit partium distributio:

v. 1. 2. Exordium: Huc ades, Phoebe, atque medere aegrotae puellae.

v. 3—8. Crede mihi, propera, Phoebe: fac ne gravis morbus Cynthiae venustatem deleat; et quodcumque metuimus, tollatur.

9—14. Sancte veni: fer tecum sapores et cantus, qui eius corpus reficiant, neve Cerinthum sollicita, qui puellae timens modo votis modo atrocibus verbis deos appellat.

15—20. Pone metum, Cerinthe: amantes enim deus non laedit; noli igitur fiere; dummodo tu eam ames, illa tibi manebit.

21—26. Phoebe fave: magna gratia atque gloria tibi erit, si servata puella iuveni quoque salutem dederis. —

Certe tam perspicua, tam manifesta aequabilitas partium, quae advocationibus inducuntur et a prioribus secernuntur, adscribenda est legi cuidam; sed haec lex simplicissima est, plane conveniens Tibullianae poesi, quae aliena est ab omni luxu.

Carmine quod sequitur (IV, 5) Sulpicia Cerinthi die natali optat, ut cum amatore perpetuo vinculo coniungatur atque ut ei mutuus amor adsit. Hoc desiderium ter repetit; nam idem petit a Cerintho (v. 5—8), idem a Genio (v. 9—12), idem a Venere (v. 13—16). Totum igitur carmen in tres partes dividi potest, quarum prima (v. 1—8) puella ad Cerinthum loquitur, secunda (v. 9—16) ad deos; tertia, qui exitus totius est, puella iuveni quoque idem votum esse commemorat. Prima et secunda pars, quod ad sensum attinet, duo binorum distichorum membra comprehendunt, ita ut haec quoque elegia comparari possit cum multis Germanorum carminibus poesis equestris: habemus partes, quae ibi nominantur „die beiden stollen" in hoc carmine bis positas I. 1—4. 5—8 atque II. 9—12. 13—16, quas sequitur epodus (abgesang) v. 17—20. Quod ut melius perspiciatur, sententiarum ordinem huius carminis (cuius membra sunt 2 + 2. 2 + 2. 2 dd.) paucis subieci:

I. Cerinthum Sulpicia adloquitur. a 2 dd: Cerinthe, semper mihi sanctus erit natalis tuus, qui mul-

tis puellis servitium attulit — b. 2 dd: Sed ego ante omnes te amo vehementer; hoc gratum mihi est, dummodo tu meo amori pari amore respondeas.

II. Preces ad deos: a. 2 dd. ad Genium: Magne Geni, fave meis votis: amore ille caleat erga me, sed erga nullam aliam. — b. 2 dd. ad Venerem: Tu, Venus, fac ut aut uterque amet aut neuter; sed melius est utrumque aequo vinclo teneri.

III. Exitus: Idem iuvenis petit, sed non audet palam petere; at ut, natalis, audis quoque, quae clam rogantur; adnue igitur, quod ille rogat.

In hoc quoque carmine singulorum membrorum (excepto exitu) initia significata sunt adlocutionibus v. 1. Cerinthe; v. 5 iuvat hoc Cerinthe; v. 9 Magne Geni; v. 13 nec tu sis iniusta Venus.

Simili modo in sexta huius libri elegia singulorum systematum exordia eo notata sunt, quod dea appellatur v. 1. Natalis Juno; v. 7. at tu, sancta fave; v. 13 adnue purpureaque veni ct. In hoc quoque carmine sicut in carmine IV, 3 et IV, 5 singulae partes (3. 3. 4 dd) sibi respondent ut quae a Germanis nominantur „die beiden stollen" (a a′) et abgesang (b); quod me comprobaturum esse spero breviter adscriptis carminis sententiis:

a. 1—6. Poeta, qui in hac elegia, ut in el, 2. 4. ipse loquitur, a Junone natali petit, ut munera accipiat, quae puella pulchre ornata ei donet. Illi quidem causas ornandi eam tribuere, sed tamen alium quoque esse, cui placere velit.

a'. 7—12. At tu, sancta, fave eorum amori, nam alter altero dignissimus est. Neve illi deprehendantur in amoris furtis; Amor eos adiuvet.

b. Epodus. 13—20. Iterum poeta precatur, ut dea faveat, ut adnuat atque veniat ad sacrum; ne audiat id quod Cynthia praecipiente matre palam roget, sed quod tacite optet; „nam illa uritur vehementissimo amoris igne neque vult ab eo igne liberari, dummodo, quum veniet proximus natalis puellae, quae iuveni grata est,[11]) idem amor, qui nunc iis est, duret.

In omnibus his elegiis tam accurata atque perspicua concinnitas est, ut certum fuisse poetae consilium in componendo carmine vix negari possit, praesertim quum saepius nomina aut adlocutiones vel similia post certum versuum numerum repetita nobis externa etiam indicia strophicae aequabilitatis suppeditent.

In sexta huius cycli elegia, quae certe non a Sulpicia sed a Tibullo facta est, qui Sulpiciam lequentem fingit, artificiosior huius generis structura minus aperta est quam in praecedentibus, sed hic quoque secundum et tertium, quartum et quintum distichon arctius cohibentur; utrumque membrum uberius explicat, quod primo elegiae disticho dictum est:

I. v. 1. 2. Venit amor — quem neminem celabo.

II. v. 3—6. Quem petivi amorem, Cytherea attulit,

---

11) Sequor praeclaram Lachmanni coniecturam, qui in editione a. 1829 dativum „gratae" pro „grata," quod in codicibus legitur, coniecit atque retinuit „si," quod codex Eboracensis et tres Berolinenses habent.

quod promisit, exsolvit — mea gaudia omnes sciant atque narrent, qui non sua habent.

III. v. 7—10. Nihil equidem de ea re epistolae mandabo, ne quis prius id sciat quam amatus meus — sed peccasse minime me poenitet neque ullo modo vultu dissimulabo gaudia: nam dicar digna cum digno fuisse.

Itaque ob eas causas, quas attuli, non mihi est dubium, quin hae elegiae de amore Sulpiciae atque Cerinthi, quas post librum primum et post plurimas, si non post omnes, elegias libri secundi Tibullum scripsisse persuasum habeo, certo consilio atque certa arte a poeta symmetrice compositae sint. Quae elegiae, quod ad linguam quoque et versum attinet, maiore diligentia elaboratae sunt quam ceterae; velut in fine pentametri semel tantum vocabulum hyperdisyllabum invenitur IV, 2, 18 „segetis," quum alias saepius hanc licentiam sibi concedat poeta et in primo quidem libro his locis: el. I, v. 38. 50. 54. 72. II, 42. 54. 84. III, 30. 32. 58. 82. IV, 62. 84. V, 32. 36. 62. 72. VI, 34. VII, 10. 16. 32. 36. VIII, 6. 24. IX, 4. X, 14. 66.

Neque Tibullus solus est antiquorum poetarum, qui talem compositionis artem adhibuerit. Propertius quoque, ei fere aequalis, in multis carminibus, ut supra memoravi, similem normam secutus est. Ille quoque Tibulli imitator, Lygdamus, simili diligentia primum carmen libri, quem Neaerae donaturus est, composuisse videtur. Nam facile elegia in has partes dividi potest 4 + 3. 4 + 3 dd.

I. a. 4 dd. „Martis dies festus adest atque munera

undique mittuntur ad feminas atque puellas. Dicite, Musae, quo munere mea Neaera donetur? Carmina mea ei mittam, quibus delectetur.“ — b. 3 dd. Descriptio voluminis, quod lepide comptum poëta missurus est.

II. a. 4 dd. Preces ad Musas, ut librum una cum gratulatione tradant amatae. — b. 3 dd. Verba, quae Musas Neaerae dicere poeta iussit.

Neque vero tali symmetria observanda liber sententiarum motus magis impeditur quam metri vinculis aut ea consuetudine, quam Tibullus plerumque sequitur, ut pentameter ea quae hexametro dicta sunt aut aliis verbis repetat aut accuratius definiat aut ei aliquid opponat: velut in prima elegia libri primi exstat sententiarum aequalitas (hodie parallelismus): v. 1. 2, 3. 4, 7. 8, 9. 10, 11. 12, 29. 30, 35. 36, 37. 38, 39. 40, 43. 44, 55. 56, 59. 60, 61. 62, 63. 64, 65. 66, 67. 68, 71. 72; oppositio: v. 21. 22, 25. 26, 33. 34, 57. 58; definitio aut restrictio: 5. 6, 15. 16, 17. 18. 23. 24, 27. 28, 41. 42, 53. 54. [12])

Ea quoque re non leviora vincula orationi iniciuntur, quod quum alii Latini poetae Augustei temporis tum Tibullus solent in fine dimidiarum pentametri partium ponere verba, quae aut arctissime sensu cohaerent aut sibi opposita sunt, velut in elegia I. primi libri v. 2. 8. 10. 14. 16. 22. 26. 30. 34. 38. 40. 42. 44. 46. 50. 52. 54. 56. 68. 72. 76.

---

12) Confer Gruppe. Die römische elegie p. 14. sqq.

Ut autem Tibullus has leges saepe neglexit, ita inde, quod elegiae Tibullianae quarti libri accurata symmetria compositae sunt, colligi non potest, poetam omnia cetera quoque carmina ita struxisse, quod ne de Propertio quidem contendi potest. Immo puto Tibullum in nulla elegia primi et secundi libri hanc formam severe observasse, ita ut non sit admittendum, ut solam ob strophicam aequabilitatem quicquam mutetur.

IV.

Transeo ad alteram meae dissertationis partem, quae agit de transpositione versuum in Tibulli carminibus. Primus Josephus Scaliger putavit haec carmina valde turbata ad nos pervenisse. Ille in editione Tibulli, Catulli, Propertii, Parisiis 1577 multa quidem singula summo acumine emendavit atque interpretatus est sed nimia audacia multas carminum partes in alium locum transtulit. Quem editores secuti sunt usque ad Antonium Vulpium, qui in editione Paduae 1749 priorem ordinem restituit. Nostra aetate iterum nonnulli homines docti asperitatem in transitionibus, digressiones ab orationis perpetuitate, sentiarum interruptionem permutato versuum ordine evitare conati sunt.[13]) Sed puto talia plerumque

---

13) Fr. Haase, disputatio de tribus Tibulli locis transpositione emendandis, in prooem. Vratislav. aest. anni 1855.

O. Ribbeck ad Tibulli. I, 1. in indice Kiliensi a. 1867.

O. Korn ad Tibull. in museo Rhenana in volum. XIX. anni 1864. p. 497.

Fr. Ritschl, de Tibulli el. I, 4 in actis soc. litt. Sax. anni 1866. p. 57. sqq.

non habenda esse codicum vitia sed tribuenda esse licentiae cuidam, quam poeta ipse in elegiarum compositione sibi concessit. Etenim si omnia illa, in quibus poeta a recto sententiarum progressu aberravit, mutare vellemus, certe permulta mutanda essent, quum saepissime Tibullus sensim digrediatur ab aliqua sententia, postea autem ad eandem revertatur, velut in carmine I., 1 poeta quater redit ad id quod initio carminis dixit:

v. 1. sqq. Argumentum: Divitias alius collegat, qui non timeat adsiduos belli labores; mihi pauca sufficiant, dummodo mihi liceat, domi otio frui. Sequitur degressio.

v. 23. sqq. Vobis, dii, agnam immolabo, dummodo possim parvo contentus quiete vivere atque procul abesse a bello. Iterum deinde aberrat.

v. 36. Tertium ad propositum reversus transit ad Deliae amorem, ut sub finem iterum initii sententiam repetat.

Tamen mihi videtur non in omnibus carminibus versuum ordo, ut in libris manu scriptis est, retineri posse, quum praeter negligentiam in partium coniunctione alia sint argumenta, quae persuadeant, ut versus transponamus, velut in elegia I. 4, de que Fr. Ritschelius egit in act. soc. litt. Sax. 1866 p. 56 sqq. Qui vir clarissimus et de nostra doctrina ita bene meritus ut perpauci censuit versus tali ordine collocandos esse:

1—14. 39—56. 71. 72. 21—26. 15—20. 27—38.
73—84. 57—70.

De prima quidem elegiae parte usque ad versum 56. cum illo viro eruditissimo consentire non possum; et quamquam vereor paene tali viro contradicere, quem propter excellentissima eius opera admirari atque suspicere didici, tamen hic causas afferre conabor, cur in priore carminis parte traditum versuum ordinem servari posse existimem.

Atque rationes quidem principales quibus nitens Ritschelius versus 15—20. 21—26. 27—38 traiecit, hae sunt: 1. particulam sed in versu 15 non aptam esse: totam sententiam v. 15—20:

„Sed ne te capiant, primo si forte negabit,
taedia: paullatim sub iuga colla dabit.
Longa dies homini docuit parere leones,
longa dies molli saxa peredit aqua:
Annus in apricis maturat collibus uvas,
annus agit certa lucida signa vice.“

hanc igitur sententiam cum praecedentibus coniungi non posse. 2. coniunctione nec in versu 21. non posse transiri. 3. Praecepta generalia et singularia miscere non esse sapientis poetae.

Illa quidem transitio in versu 15 vocabulo sed facta mihi non tam inepta esse videtur, ut argumentum esse possit hanc carminis partem non suo loco positam esse et puto illam coniunctionem defendi posse. Priapus enim monita (v. 9—14), ut Tibullus caveat pulchros pueros, subito abscindit, atque abscindit, id quod saepius fit, ad-

versativa particula sed. Oratio elliptica est, ita ut sententia quaedam supplenda sit, quae conexu verborum facile se offert. Qua sententia addita huius partis sensus hic est: „Optimum est te fugere illos pueros, nam nimis in amorem pelliciunt. Sed — quid te admoneo? scire vis, quomodo illi concilientur; respondebo igitur: — in primis perseverantem te praesta, si forte primo negabit; tandem pervenies, quo volueris.“ Non statim deus respondet ad ea, quae poeta ex eo quaesivit, sed primo digreditur (versibus 9—14) ad monita illa et postea demum ad ea, quae statim ei respondenda erant, venit, id quod particula „sed“ significatur. Simili quoque modo saepius post sententias interpositas, post parentheses vocabulo sed oratio eo redit unde digressa est. In hoc ipso transitu a monitis, ut poeta omnino pueros fugiat, ad praecepta, quomodo eorum amorem optime capiat, tali particula adversativa puto melius etiam significari illam oppositionem quam pronomine tu in versu 39, quem Ritschelius statim versum 14 sequi putavit. In versu autem 39 optime illud „tu“ congruit cum praecedentibus. Priapus autea versu 28 praecipit, ne Tibullus tardus sit. celeriter enim transire iuventutem et venustatem; se iam vidisse iuvenes (v. 33) posteriore aetate maerentes, quod tempus praetermisissent inutile. His hominibus deus poetam opponit. „Tu autem, quoad tempus est, noli lentus esse sed omni modo puero obsequere neve quicquam, quod ille postulet, neges.“ Ita haec quoque pars (v. 39—56) non mihi videtur alio transferenda esse.

Restant versus 21—26:

„Nec iurare time: Veneris periuria venti
inrita per terras et freta summa ferunt.
Gratia magna Jovi: vetuit pater ipse valere,
iurasset cupide quidquid ineptus amor:
Perque suas impune sinit Dictynna sagittas
adfirmes, crines perque Minerva suos."

In quibus versibus deus poetam hortatur, ne iurare timeat. Eiusmodi enim iusiurandum apud deos nihil valere. Concedo has sententias minus arcte cum praecedentibus et sequentibus conexas esse. Sed tamen non tam inepte hic positae esse mihi videntur, ut loco movendae sint. Non tam speciale hoc praescriptum esse puto, ut inter illa generatim dicta aptum non sit. Nam verbis „nec iurare time" etc. Priapus nihil aliud dicit quam non oportere poetam, si propositum assequi velit, nimis religiosum esse. Non ita timide vitanda esse amoris periuria, quippe quae dii ignoscant. Sententiarum igitur contextus in Priapi oratione est hic: „Suadeo tibi, ne omnino quaeras formosorum puerorum amorem. — Sed quoniam prorsus scire vis artificia, quibus eum amorem assequaris, tibi haec praecipio: Primum persevera (v. 15—20), deinde noli esse nimis religiosus atque anxius (21—26) tum cave ne tardus atque lentus sis, sed cito omnia fac, quae ille vult nullumque laborem time. Quod tertium praeceptum uberius explicatur (usque ad versum 56).

His de causis Ritschelii sententiam de hac priore carminius parte sequi non possum atque videtur mihi vir perillustris, sicut saepissime Scaliger ille magnus, iudicio nimis severo uti. Pulchrius quidem atque accuratius

carmen dispositum est ea forma, quam Ritschelius ei tribuit; sed mihi persuadere non possum, ullum Tibulli carmen mutandum esse eam ob causam, quod non subtilissimis ratiocinationis et logicae dispositionis legibus compositum sit.

Longe aliter quam in priore elegiae parte in altera res sese habet, ubi versus 57—70 in fine ponendos esse plane cum Ritschelio consentio, ita ut versus huius carminis sic ordinandi esse mihi videantur:

1 — 56. 71 — 84. 57 — 70.

Nam praeterquam quod versibus 57 — 70 sententiarum continuatio mirum in modum interrumpitur, haec pars omnino Priapo non potest tribui, quum neque Musarum laus neque querellae atque exsecratio puerorum avarorum illius dei esse possint sed tantummodo ad poetam quadrent; praeterea subita allocutio ad pueros inter illa praecepta quae Priapus poetae dat, merito offendunt. Nihil autem offensionis oratio habet atque praeclarus conexus est hac parte in fine posita. Sed sufficiat mihi causas huius transpositionis adumbrasse tantum; accuratius atque melius de hac re Ritschelius egit in illa dissertatione, quam supra attuli.

VITA.

Natus sum Joannes Andreas Hermannus Groth, die XVII. mensis Februarii anni 1849 Berolini, patre Guilelmo, magistratu regio, matre Henrietta e gente Kniebusch, quae mihi quatuor demum annos nato praematura morte erepta est. Fidei addictus sum evangelicae. Litterarum primordiis in gymnasio Berolinensi imbutus, ubi per ultimum semestre Bonitzii scholis interfui, testimonio maturitatis accepto, mense Aprili anni 1868 inter cives universitatis Fridericae-Guilelmae Berolinensis receptus sum, ubi per octo semestria studiis potissimum philologicis operam dedi atque lectiones audivi horum illustrissimorum virorum: Bonitz, Droysen, Geppert, Hübner, Harms, Haupt, Kirchhoff, Märker, Müllenhoff, Steinthal, Trendelenburg. Per unum semestre Hübneri societatis philologicae sodalis fui. Quibus omnibus viris clarissimis optime de me meritis maximas gratias ago.

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 060 709 0

Theses.

I.

Trachiniae mihi videntur ultima Sophoclis tragoedia esse.

II.

In Choëphoris in v. 47 Aeschylum *καλύπτουσιν* scripsisse arbitror et in antistr. v. 56:

μένει χρονίζοντ' εὐτυχῆ

ita ut versus 53—57 contra Hermannum sic interpreter (Omnes assequitur iustitia); in alios ea celeriter clara iam luce se convertit, alia in confiniis tenebrarum exspectat manentia per aliquod tempus felicia, alios profunda nox tenet (i. e. alii sero demum dant poenam iustam).

III.

In Soph. Philoctetae v. 1383:

πῶς γάρ τις αἰσχύνοιτ' ἂν ὠφελούμενος; passivum *ὠφελούμενος* ferri non posse et *ὠφελῶν τινας* scribendum esse puto.

IV.

Terentii fabulas in scholis legendas esse censeo.

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 060 709 0